



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Ferijs. Consilium LXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

Actoris quoque conslet, quod causa transvectionis principalis fuerit, ut Reus se uxoremque suam & Henricum van Hults ejus levirum ex pago de Wintelsis transferret ad pagum de Wespelaer, non mercatus aut alterius profane rei causa, sed ex causa rei divine & sacre, ut scilicet interesset celeberrari & divino officio in honorem S. Huberti tunc celebrando; idque ex causa necessaria, quia scilicet Reus de confraternitate S. Huberti in Ecclesia de Wespelaer erat, & sic obstrictus ad praesentiam in illa celebritate; quod etiam testificari videntur testes per Actorem producti: est enim indubitatum, quin licita sint opera, quae preparatoria aut destinata sunt ad divini officii cultum, *Domin. à Soto d. 9. 4.* Quod autem destinatio hanc talem effectum habuerit, demonstrat ipsius Actoris confessio, quatenus respondendo ad quartum Rei articulum, credit Reum cum sua uxore & dicto suo leviro misse S. Huberti ex parte dictae confraternitatis celebratae interfuisse, & oblationes suas ad altare fecisse; ita ut de depravata aliqua Rei intentione non appareat, sed ex adverso de pia & timorata conscientia proficiscentis. Potissimum quia non conslet etiam Reum hanc transvectionem dictorum instrumentorum pro mercede fecisse: nam quod primus testis ab Actore productus extra articulatam deponendo dicit, se intellexisse Reo de hujusmodi vectura solutum fuisse, fidem non facit; tum quod solus id deponat, *l. in risurandi de testib.* tum quod de auctore alieno, non ex propria scientia id dicat, *c. licet causam eod. tit.* tum etiam quod alter per Reum productus testis declaret Reum rogatum à Wilhelmo Stuckens id fecisse; idque (ut Actor respondendo ad tertium articulum Rei fatetur) tunc cum Reus itineraret cum sua uxore & leviro accinxisset. Inde enim perspicitur, causam transvectionis fuisse dictam celebritatem, non ipsa coquinaria instrumenta; quae & ipsa constat transvecta fuisse causa parandorum ciborum, qui in dicta confraternitate post peractam Missam consumerentur: cur enim ut parare & coquere cibos die festo licet, *Domin. à Soto loci supra citatis*, non licet etiam per tam exiguum loci spatium instrumenta coquinaria de loco ad locum currui aut humeris transferre? Nec est quod Reo ad culpam referatur, quod pridie aut prius id non fecerit: nam ex articulis Rei per Actorem confessatis, adeoque etiam ex testimonijs Actoris constat, quod instrumenta illa ad Reum eodem die Dominico fuerint per Wilhelmu Stuckens ad transvehendum delata, & sic casu ejus currui imposita; unde constat affectatam hac in re Rei nullam esse negligentiam. His accedit quod idem Wilhelmus Pastorem suum pro obtinenda licentia hujus transvectionis rogaverit, quae nec ab illo negata, sed dumtaxat illius periculo, quasi concessa fuerit; in dubitatione scilicet, num in ea re peccatum aliquid consisteret: sic quod Reo non possit obijci affectata aliqua culpa. In summa eo loco hac transvechio est, ut ob eam Reus in foro poenitentiali, multo minus judiciali, poni non debeat, cum ex causa, modo, & fine hae res licita recte dicatur, *l. Gracchus C. Ad l. Iuliam De adul.* * Et quoniam expensae litis rem principalem excedunt, nullam etiam causa est, cur in eas vel earum aliquam

Conf. Wa ncf. Tom. I.

partem Reus condemnatur, qui in nulla culpa invenitur, praesertim quis idem Reus in exordio litis rem ipsam, ut acta est, confessus fuerit; idque longe amplius & latius quam Actor allegavit vel articulavit: ita ut ad hujusmodi Rei confessionem Actor subsistere debuerit, & Reum ulterioribus expensis minime gravare, *l. si debitori De iudicij*, cum nullae sint iudicis aut iudicij partes in confidentem, nisi in condemnando vel absolvendo, *l. Proinde §. ult. Ad leg. Aquilam*. Ea itaque Rei confessione contentus debebat esse Actor, & ex ea potere sententiam; prout Reus ea confessione facta, & declarato, quod existimaret se per dictam transvectionem nihil peccasse, sese ordinationi Venerabilis D. Officialis submisit: usque adeo, ut etiam si poenam aliquam meritis fuisset Reus ex illa transvectione, damnum tamen sequentium expensarum sustinere non deberet, *Baldus in Auth. contra qui propriam in fine C. De non nu. pec. Hippolit. de Marfil. in l. patre, nu. 43. De quest.* cum illis faciendis causam non dederit, sed praeciderit. Itaque existimo officium Venerabilis Domini Officialis esse, ut Reum absolvat, & Actorem in expensis litis condemnat.

De Ferijs.

S V M M A R I V M.

Exceptio dilatoria Feriarum.

1. Ferijs messium nemo invitatus in ius vocatur, etiam si non sit agricola.
2. 4. Alimentorum causa ferijs quando tractari possit.
3. Alimentorum legatum quod dicatur.
5. Alimentum quando ad piam causam referatur.
6. Feria quando cessent in his quae accelerationem requirunt.

CONSILIVM LXXVI.

EXCEPTIO dilatoria ex praesentibus ferijs messium proposita adversus citationem nem pro parte Antonij Zoy Actoris, contra Iacobum du Boys Reum factam, bono jure nititur. † Quippe manifesti & indubitati juris est, messium tempore neminem posse adversarium suum invitum cogere venire ad iudicium, nec recte facere iudicem, qui quemquam eo tempore ad iudicium evocaverit, *l. 1. d. de ferijs*; ita ut evocatus non comparendo durantibus hujusmodi ferijs contumax reputari non possit, nec adversus eum ut contumacem procedi, & contra eum dicta sententia pro nulla & nullius momenti reputetur, *d. l. 1. post princ.* non tantum ex civilis, sed etiam ex Canonici juris dispositione, *c. fin. de ferijs*: idque sine discrimine & distinctione inter rusticos, qui potissimum eo tempore circa rem publicam solent esse occupati, *d. l. 1. in princ.* & cives seu otiosos quoad messum homines; nam & clericis & militibus perinde, ut rusticis privilegium hujusmodi feriarum indultum est, *gloss. in d. l. 1. in V. occupati, Pileus quasi. 123.* ideoque praefato Reo de ferijs his excipienti obijci non possit, quod sit civis, nec agricultura aut messi operam det: prout nec dictus Actor obijcit, sed hoc tantum, quod haec causa sit causa alimentorum.

M 2

rum, quod moram non patitur; quod Actor ob hanc causam Bononiâ civitate Italiz Lovanium venerit; ideoque feriis non obstantibus, non tantum solitis & ordinariis, sed alternis etiam diebus in hac causa procedendum esse. Verum quidem est feriarum sive indulgum, sive prohibitionem tam præcisam non esse, quin multæ sint causæ, ob quas ad iudicium quis evocari possit, & evocatus in causa cum evocante saltem usque ad litem contestationem, interdum etiam usque ad definitivam sententiam procedere debeat, sed quas Actor proponit, ad neutrum effectum idoneum habent. * Nam quæ primo loco proponitur, quod hæc sit alimentorum causa, sic ab Actore proponitur, ut ex modo propositionis aperte percipiatur illam frivolam esse; idem quod id non assertivè proponat, nec ex literis Apostolicis, unde initium hujus causæ constituitur, appareat, sed quod suo loco clarius id deducturus sit, quam deductum est in dictis literis Apostolicis; quod cum in facto consistat & hactenus deductum non sit, D. Iudicem ex generali, vaga, & indeterminata allegatione commovere non debet. Neque enim ex causa nec allegata, nec deducta, nec probata, iudicem aliquid constituere oportet, sed causa causatum antegredi & præire, non sequi debet, l. *Huiusmodi quando dies leg. vel fideicom. cedat.*

Sed quoniam Actor ex comminatione seu iactitatione clarioris deductionis tacite ex virtute comparationis significare videtur in dictis literis Apostolicis, conjuncti & Venerabili D. Iudici mandatum esse causam alimentorum, exquirendum est, num id sit verum; ob id, quod verum sit in causis alimentorum coram iudice, etiam invito adversario, procedi posse in feriis messium ac alijs similibus; ob necessitatem hominum introductis; l. *Eadem C. De feriis.* Origo hujus causæ est (ut indicant dictæ literæ Apostolicæ) testamentum Lucæ Zoy fratris dicti Actoris; in quo ei legavit mille octingentos florenos pateris executores convertendos seu collocandos in annuos redditus hæreditarios ad dicti Actoris commodum & utilitatem, ut illis quoad viveret frueretur, cum substitutione proximorum agnatorum pro dimidia, & pro altera dimidia pauperum Oppidi Namurcensis, si cum sine liberis decedere contingeret.

* Quod quidem legatum præcisum, determinatum, & circumscriptum est certæ rei, honoris, & emolumenti, non verò alimentorum causa, nullâ alimentorum seu alendi mentione adjectâ: quod etsi ex voluntate legatarii magis, quam testatoris converti possit in alimenta, ut omnia quæ habemus, quæque nobis undecumque obveniunt; ad alimenta tamen nec restrictum nec conclusum est, & perinde alia, aut aliâ prodigalitate ac luxu consumi potest, ut ad necessarios & familiares usus converti. Cum alioqui nec alimentorum legatum propriè dici possit, quod certum & definitum aliqui legatur, ut inde se aliat & exhibeat: quia huiusmodi adj. ctio referenda est ad causam, quam vocant impulsivam, & ad consilium & providentiam, non ad constituendum alimenta, nec ad nudum usum, l. *Libertis libertabusque, l. cum alimenta §. 1.*

in fin. De alim. lega. l. donationes §. species de donat. Quod etiam ex effectu hujus legati percipitur, qui in eo consistit, quod morte dicti Antonij non extinguetur hoc legatum, sed vel ad ejus liberos, si cum illis decesserit ab intestato, seu, ut plerique volunt, jure fideicommissi, l. *Lucius & ibi post. de her. inst. vel si sine liberis decesserit, jure fideicommissi ad proximos agnatos pro semisse, & pro alio semisse ad pauperes pervenire debet; non ad finem alimentorum, sed absolute & pleno jure: repugnat enim talis continuatio & perpetuitas naturæ alimentorum sive ex promissione, sive ex legato, sive ex jure debeantur; ut quæ unâ cum personâ alimentarij, cui illa debentur, prorsus finiuntur & extinguuntur; sicuti & usus & usufructus, l. *Cum ij §. modus. vers. constat. De transact. l. Melia. in princ. de alim. legat. l. Hæreditatum ff. ad l. Falcid.* Alimentorum itaque non potest dici hæc causa respectu commutationis illius, ad quam ex absoluta Pontificis potestate, Clem. 2. De relig. domib. per dictum rescriptum Actor contendit: hæc enim commutatio ferè tantum continet peremptionem fideicommissi Antonio injuncti, in casum, quo Antonius sine liberis moreretur; propter jam plures liberos illi natos, & sic propter apparentem & quasi certam spem decessus conditionis dicti fideicommissi, per superexistentiam liberorum; præventionem quâdam defectus hujusmodi defectus seu certo deficiendæ conditionis, facta per hanc Pontificiam commutationem: ita quod corpus ipsum seu jus legatum, non sit per hanc commutationem in alteram speciem alimentorum conversum, sed velut relaxato vinculo injuncti fideicommissi, dicto Antonio facta potestas dictos mille octingentos florenos, aut redditum vel fundos ex illis comparatos, levandi in suos, familieque suæ usus & utilitatem, atque etiam in dotes filiarum convertendi, & de illis libere disponendi: ex quo non potest constitui aliqua species alimentorum: quia huiusmodi libertas naturæ alimentorum prorsus repugnat; cum vera alimenta non ita sint in libera facultate ejus qui illa vel data vel legata habet, d. *l. cum ij.* multo minus in illius libera dispositione; eò quod illa, ut diximus, cum vita alimentarij finiantur. Quia igitur nec testamentum, nec bulla Pontificia ullam mentionem facit alimentorum, & res ipsa ad speciem aliquam alimentorum non declinat, non rectè prætendit Actor hanc esse causam alimentorum, ut Reo beneficium feriarum subtrahat. * Cum alioqui non omnes causæ alimentorum hoc privilegium, ut feriis de illis agi possit, habeant; sed illa tantum, ubi ex officio iudicis alimenta personis necessarijs constituenda sunt; ut liberis, pupillis, & similibus personis; non etiam cum alimenta vel ex stipulatione, vel ex donato, vel ex testamento codicillis debentur & petuntur, Ant. De Burzio & alij in c. fin. de feriis, Alex. in l. 1. nu. 13. Solutio marit. Castrensis. Iason, & alij in l. 1. §. sed excipiuntur. De feriis. nam illo casu agitur de illis constituendis; hoc vero de constitutis exigendis, in qua exactione privilegium nullum est, nisi alimenta inopi seu pauperi, & propter inopiam seu paupertatem sint promissa aut legata, l. 2. in verb. alimenta constituuntur. De feriis; quasi eo casu huiusmodi alimenta habeant præ-*

prætextum pietatis, & privilegium piæ causæ; quod inter cætera est, ut etiam ferijs de ijs agi & cognosci possit, *Alex. Ius. & alij loci citatis, Franc. Arezzus consil. 97. in causa & puncto nu. 4. And. Tiraquel. De pia causa privil. 156. †* Cuius generis non sunt alimenta, quæ fratri aut alij propinquo vel amico, testamento relinquuntur, paupertatis aut inopiæ nullâ facili mentione cum ut alia, sic etiam hoc legatum præsumantur esse facta ex impellente causa conjunctionis & amicitiz, non propter paupertatem, cuius testator non meminit, nec aliud argumentum præbuit, quod respectu inopiæ ita legaverit. *And. Tiraquel. de pia causa in præfat. vers. item legatum:* prout etiam Actor non proponit sibi ut pauperi, respectu paupertatis seu inopiæ, hoc legatum relictum esse. Quinimodò nec Pontifex hanc commutationem, de qua in hac causa agitur, respectu aut contemplatione paupertatis dicti Actoris fecit: etsi enim ex parte narrativa dictæ Bullæ constet, Actorem pro impetranda hac commutatione in suo supplice libello inter alia narrasse, quod sit pauper & valetudinarius, in anno sexagesimo secundo suæ ætatis constitutus; in parte tamen dispositiva, nulla est huiusmodi qualitatum repetitio; ut proinde non possit dici Pontifex hanc commutationem fecisse respectu illarum, sed magis ex ijs causis, quæ in eadem dispositiva parte exprimuntur; nimirum quod (ut Actor exposuerat) proximiores agnati iuri suo cesserint, & pauperibus, Actore cum liberis decedente, nihil possit deberi. Quæ etiam causa est, cur Actor privilegium piæ causæ vel in genere vel in specie hic non proponat, sed in specie de privilegio alimentorum, quorum consideratio idcirco hic in cognitione tantum versari debet.

Quoad secundo loco propositam causam, pro avertendo beneficio feriarum, quod videlicet hac causa moram non patiat, ipsius Actoris propria mora & negligentia illam quoque frivolum esse demonstrat; ideo quod hanc Bullam impetraverit 5. Decembris anno 1577. ut ex data deprehenditur: pro cuius executione nunc primum post duos & dimidium annos agere incipit: inde enim deprehenditur primum, quod allegatio paupertatis in dicto supplice libello facta, omnino sit improbabilis: paupertas enim tantam dilationem & negligentiam in prosequenda executione dictæ Bullæ, & consequendo illius effectu, admittenda non erat. Deinde quod post tam longam moram duorum cum dimidio annorum, Actoris parum in omnem eventum nocitura sit dilatio, quam facit restans tempus jam ad finem decurrentium feriarum mensium, ad quarum beneficium Reus merito confutgere potest, quando Actor eum imparatum & inexpectatum sic subito opprimere, & super hac lite deliberandi & se instruendi occasione præripere conatur, *l. si quando c. de dilationib.*

6. Ultra quæ hoc etiam in consideratione habendum, quod feriarum usus non cesset simpliciter & indeterminatè in omnibus causis, quæ ex quacunque causa, festinatione seu acceleratione indigent, nec moram patiuntur, sed tunc cum necessitas urget, vel pietas suadet, ut inquit Pontifex, *in c. fin. de ferijs.* At in proposito necessitas nulla est; id enim convincit Actoris in utenda & exequenda

Conf. Wamels. Tom. I.

hac bulla dilatio, mora, & negligentia: at nec pietas, quæ non ex cuiusque maiore emolumento vel commodo constituenda est, sed ex causa, quæ pietatem, vel respectu Dei immediate, vel contemplatione hominum ex commiseratione non sine devotione in Deum, habet; qualis hic nulla est, siue testatoris testamentum, siue Pontificiam commutationem inspiciamus. Præterea necessitas, quæ ferias excludit, non ad hominis indigentiam, quod illi fortè necesse sit habere, quod in iudicio petit, sed ad illam, in qua propter moram res tempore peritura esset, hoc est, ut iureconsultus interpretatur, *in d. l. 1. si sed excipiuntur de ferijs,* si dilatio actionem esset peremptura: ut est in temporalibus actionibus, quæ continue sine discrimine utilium & inutilium dierum decurrunt; de qua re hic nullum periculum est; cum perinde post has ferias, ut nunc, Actoris salva futura sit actio, si quæ ei ex dicta bulla competat. Quo tamen casu, cum res vel necessitas sic urget, ad hoc tantum profertur, ut licet cum adversario Reus contestari non debeat, *d. §. Excipiuntur vers. Sane quoties,* & sic actio tempore finitura fiat perpetua, *l. Non solet deterior & ibi gloss. De reg. iur.* non etiam ut ulterius in causa durantibus ferijs cogatur Reus invitatus procedere, *d. §. Excipiuntur vers. denique alterutro:* ut admodum malè contendit Actor non ad hoc, ut Reus licet contestetur, sed cum eo alternis diebus in hac causa procedat.

Tertia ad avertendum usum harum feriarum causa, cæteris duabus adhuc inferior minusque probabilis est: cum enim Actor forum Rei sequi debeat, *l. ius ordinem c. de iurisd. om. iudic.* nec usquam in iure discrimen inter eandem vel diversam, proximam aut longinquam provinciam Actoris & Rei hæc in parte constituitur; non potest ex ratione longioris itineris, juris ordinem inverttere, vel feriarum beneficium tollere, sed hoc tantum cum Terentiano Critone conqueri, nec facile nec utile esse hospitem alibi lites sequi, *in Andria actu 4. scena 6.* Et debet sibi Actor imputare, quod sic seipsum arctaverit, & in angustum redegerit; quod cum sci verit seu scire debuerit ferias melius ubique in usu esse, & in idem ferè tempus, hoc est geminis illis mensibus Iulio & Augusto incidere, non prius vel citius iter Lovanium ingressus sit, & sic se composuerit, ut adveniens præscriptione feriarum non excluderetur, *l. Non exigimus §. si quis tamen, si quis caution. & c.*

Ultra quæ omnia hoc diligenter expendendum, quod causa hæc non sit D. Decano commissa, ut de illa de plano & sine strepitu ac figura iudicii cognoscere aut in ea procedere possit, (quo casu probabilius posset Actor contendere ferias illas non obstare, *Clem. sape De verb. signif.*) sed cum præscriptione ac mandato servandi ac habendi legitimos processus super contentis dictæ Bullæ; ut apertè expressum est in clausula executoria & delegatoria ejusdem Bullæ, ex qua Venerabilis Dominus Decanus omnino adstrictus est, solitum & ordinatum procedendi modum in hac causa servare, nec potest acceleratione extra solitum & observatum morem alijs diebus in ea pro lubitu Actoris procedere. A quo igitur animo ferre debet Actor hanc dilatoriam

M 3

præ-

præscriptionem feriarum, & non tantum eam ferre, sed præterea condemnari in expensis inutilis citationis factæ tempore feriato in diem perinde feriarum, *l. dies festos C. de ferijs, Guido. Pap. conf. 36. citatus fuit Iacobus.*

De plus petitionibus

S V M M A R I V M.

Plus petitio.

1. Delegatio pro solutione est.
2. Compensatio ipso iure minuit.
3. Victor etiam in expensis condemnari potest.
4. Plus petentis pena qua sit.

CONSILIUM LXXVII.

IN IQUITAS sententiæ latæ in favorem Domicellæ He Wygis van Binckem, originalis Aëtrici contra Ioannem Laurentij nunc Appellantem, compendio demonstratur in scedula appellationis à dicta sententia interpolatæ; idque ex tribus capitibus, videlicet ex maioris summa quam oportuit, condemnatione, obiectæ compensationis omiſsa ratione, & tertio in expensarum exorbitante condemnatione.

Nam quod ad primum attinet, quatenus sententia condemnat Reum in septem haltaria tritici, non potest non esse iniqua eadem sententia: cum enim petitio Aëtrici sit de quinque modijs & uno haltario tritici, * & Reus ex Aëtrici delegatione, quæ pro solutione reputatur, *l. Qui debitorum De fideiuss. l. Qui libertinus §. nihil autem De oper. liber. solverit quinque modios, ut Aëtrix tandem post longam cavillationem confessa est; non potest subsistere petitio & condemnatio nisi in uno haltario, quia in eo tantum subsistit actio, eadem quoad quinque modios extincta. Vt enim obligatio, Instit. Quibus modis toll. oblig. ita quoque quæ ex obligatione nascitur, actio solutione tollitur, *l. Licet §. ita obligatio Le procurat.* Nam quod attinet ad alium medium seu sex haltaria tritici, quæ in condemnatione quoque continentur, extra petitione in conclusione libelli positam fuerunt; sic ut in hanc condemnationem venire non potuerint; ne sententia petitionem excedat, *l. fin. c. de fideiuss. libert. saltem non aliâ ratione quam infra circa articulum expensarum dicitur.**

Ratio compensationis omiſsa non levem quoque iniquitatis & gravaminis articulum continet:

1. Cum enim tanto minus semper sit partis petentis debitum, quantum Reus per compensationem servare potest, quia compensatio ipso iure accedente partis objectione minuit obligationem, *l. fin. c. De compensat.* rectè quoque ob non habitam rationem compensationis appellari potuit. Nam licet salva maneat petitio, *l. quod in diem §. fin. De compensat.* quia tamen in iudicium deducta, neglecta fuit, appellari propter non habitam illius rationem potuit; præsertim ex eo, quod admissa exceptio, & confessione Aëtrici liquidatâ, plenissimè in iudicio discussa & cognita fuerit; sic ut eo respectu, appellatione non interpositâ, exceptione rei iudicatæ à petitione illius perpetuò excludi potuerit Reus, *Bal. & alij in l. Sin autem §. si quocumque De neg. gest.*

Exorbitans expensarum condemnatio iustæ appellationi causam hic dedisse, imò præcipuum iniquitatis dictæ sententiæ articulum contineri, ex eo demonstratur, quod Reus in iudicio septem haltaria tritici, & octo cum dimidio vasa siliginis, si Aëtrix juraret, solvere obtulerit; quam oblationem Aëtrix perseverans in maioris summa petitione, aperte recusavit admittere; ita ut hæc ratione Aëtrix, quamvis victrix pro parte, in omnes expensas condemnari deberet; cum non sit novum ut in expensis condemnetur qui vincit, *l. propterandum §. & si quidem C. de iudic. eleganter Barr. in l. si rem alienam §. fin. De pign. act.* Est enim hæc oblatio in iudicio facta, quamvis verbalis tantum, tantæ efficacitæ, quanta extrajudicialis cum consignatione, *Bart. in d. §. fin. in fine, propter partis agentis reculationem expressam, Ias. & alij in l. Qui Roma. de verb. oblig. gloss. final. in c. pastoralis de off. iud. ordin. Ph. Cornueus confil. 291. in præfati nu. 2. vol. 3. arg. c. 2. de dolo & contum. lib. 6. quæ ut pœnæ commissionem impedit, Bald. in l. Acceptam. in 3. oppos. C. De usur. & usurarum cursum fittit, *l. si per te & ibi Barr. C. De usur. ita quoque periculum expensarum, si ulterius in lite pergeretur, adimit.* Absolutoria enim sunt omnia iudicia interveniente solutione, aut eo, quod pro solutione reputatur, *§. fin. Instit. De perpet. & temp. act.* * Nam post illud temerè iudicium suscipitur seu in lite Reus retinetur; ideoque expensas luere debuit Aëtrix, *l. Eum quem temere De iudicij.* Quod proclivius dici potest ex eo, quod Aëtrix plus debito non tantum petierit, sed etiam allegatam solutionem partis diu negaverit, & in negatione perseveraverit; ita ut secundum regulas juris scripti, propter perseverationem in ampliore petitione, & temeraria inticiatione post litem contestatam, pœnam sustinere debeat: quæ etiam ante litem contestatam, petitionem mutando, in omnem eventum expensas litis, & indebitæ fatigationis luere debuisset, *Hoffien. in c. 1. de plus petit. Iason in §. & hac quidem Instit. de action. Quare existimamus sententiam D. Conservatoris in melius reformandam.**

De causa possessionis & proprietatis.

S V M M A R I V M.

Possessorium quando dicatur intentatum.

1. Conclusio est libelli clavis.
2. Iudex extra conclusionem iudicare non debet.
3. Possessorium non requirit tituli seu causæ allegationem.
4. Possessorium quando dicatur intentatum.
5. Registra solutionum an probent.
6. Spurio nisi alimenta relinquere possunt.
7. Relictum ad alimenta finitur morte alimentarij.
8. Spurio donatum simpliciter an ad alimenta tantum censetur donatum.

CONSILIUM LXXVIII.

QUANTUM libelli detegitur ex subiecta illi conclusione, c. Ex parte De foro compet. c. Littera De dilation. c. Ex parte 2. De rescrip. *Bart. in l. Aurelius §. Stichus de liberat. leg.*